

Orbes Latitudinares. Orbes latitudinares sunt, qui motum stellarum latitudinarem, hoc est a meridie in septentrionem, vel contra incedentem ostendunt, nodosq; sub Ecliptica circumducunt. Unde & Deferentes nodos, vel Deferentes caput & caudam Draconis nuncupantur.

Thesis XVIII.

Præter hos recensitos orbes porrò hypothesium nomine certæ quædam veniunt *Lineæ, Puncta & Arcus*, quæ non minus speciatim hîc observari debent. Cum enim Astronomi officium sit motum non tantùm numerare & observare, sed omnium etiam apparentiarum firmas reddere causas, lineas interdum Geometricas arcusque circulorum certos certa que puncta demonstrationis gratiâ assumere cogitur.

Thesis XIX.

Lineæ quidem, quæ ab Artificibus hoc loco assumuntur, (exceptis iis, quæ naturâ in omni circulo seu orbe præsupponuntur, ut *Diametri & Semidiametri*) potissimùm numerantur tres: *linea Augis seu Apogæi & Perigæi, linea motus medii, & linea motus veri.*

Thesis XX.

Linea Apogæi & Perigæi. *Linea Augis seu Apogæi & Perigæi est recta, ducta ex centro mundi, & orbis ad duo puncta opposita in quibus stella à terrâ remotissima, eidemq; proxima existunt.*

Thesis XXI.

Linea motus medij. *Linea motus medii est recta ex centro terræ per centrum Epicycli primi usq; ad Zodaicum protracta.*

Thesis XXII.

Linea motus veri. *Linea motus veri est recta ex centro mundi per centrum stellæ usq; ad Zodaicum extensa.* Quæ quidem linea lineam motus medii semper sequitur, quando centrum stellæ (in theoriâ solis) vel Epicycli secundi (in theoriis reliquorum planetarum) in medietate Epicycli primi priore versatur: Contrarium fit in posteriore.

Thesis XXIII.

Puncta, quæ (præter centra & polos, aliaque per se nota) assumi hîc solent, partim sunt loca Epicycli seu Eccentrici in quibus
stella